



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 1. Sorores vxores ducere, nu[m] apud Athenienses licuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

M. ANTONII MURETI

AD HIPPOLYTVM ESTENSEM,

S. R. E. CARDINALEM

ILLVSTRISSIMVM,

VARIARVM LECTIONVM

LIBER SEPTIMVS.

Sorores vxores ducere, num apud Athenienses licuerit.

CAPVT I.

DERELEGANS extat Æmilij Probi ad T. Pomponium Atticum libellus, quo Græcorum imperatorum vitæ mundissimo ac castissimo orationis genere explicantur. eum nuper cùm animi causâ euolueremus, in ipsa statim præfatione, quiddam deprehendimus, quod sane mirati sumus. Negat enim, Cimoni, summo Atheniensium viro, turpe fuisse, sororem germanam habere in matrimonio: quippe cùm ciues eius eodem vterentur instituto. Ego verò de Persis & aliis quibusdam barbaris nationibus sæpè id legeram: de Atheniensibus nihil tale, nisi ab eo, memineram proditum esse. Itaque cùm attentius de eo cogitare cœpissẽm, quasque excutere memoriam meam; recordatus sum loci cuiusdam ex oratione, quam antiquissimus & nobilissimus orator Andocides aduersus Alcibiadem habuit: qui ex diametro, vt aiunt, cùm eo, quod ab Æmilio dicitur, pugnat. ostendit enim, eam ipsam fuisse causam, cur Cimon in exilium missus sit, tanquam legum contemptor. neque quicquam ei profuisse,

Mureti
 var. Lectionum
 LIII
 25

fuisse, quod & ipse Olympia vicisset, & pater: veteres enim illos, non certaminum, aut victoriarum, sed legum & institutorum, in iudicando habuisse rationem. Andocidis verba si quis requirit, hæc sunt: *Ἀναμνηστέον ἅτις τὰς παλαιότητας, ὡς ἀγαθοὶ καὶ σώφρονες ἦσαν. οἵτινες ἐξ ἐστράτευσε Κίμωνος διὰ παρομοίαν, ὅτι τῆ ἀδελφῆ τῆ ἀυτοῦ ἐφύλαξε. καίτοι ἔμνον αὐτὸς ὀλυμπιονίκης ἦν, ἀλλὰ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Μιλτιάδης. ἀλλ' ὁμοίως ἔδειν ὑπελογοῦσθαι τὰς νίκας, ὅτι ἐν τῆ ἀγῶνι ἀλλ' ἐν τῆ ἐπιτηδεύματι, ἐνεργῶν αὐτῶν.* in vulgatis tamē libris *Κόνωνα*, non *Κίμωνος* legimus: quod mendum esse librariorum puto. ab aliis enim omnibus Cimonem vocari video. Neque pigebit emendare locum quendam è libro sexto Valerij Maximi, ubi de hoc ipso Cimone ita scriptum est: *Cimonis verò cuncta eunabula opinione stultitia fuerunt referta. eiusdem stultitia imperia salutaria Athenienses senserunt.* Ego autem non dubito, quin vox, *stultitia*, è posteriori loco delenda sit. Cimonis enim, non stultitiæ, dicit imperia Atheniensibus salutaria fuisse.

De consuetudine Græcorum non adhibendi honestas mulieres ad conuiuia virorum. Illustratus locus ex Eumacho Terentij: itemq; locus Ciceronis è libro primo in Verrem.

CAPVT II.

IN conuiujs liberius & hilarius ferè loqui homines solent: neque quisquam ita seuerus est, qui non inter vinum & epulas tum iocetur interdum ipse, tum libenter iocantes alios audiat. fieri autem vix potest, quin vacuo & soluto animo iocantibus non nunquam parum verecundum aliquid excidat: quodque si alibi diceretur, reprehensione merita non careret. quocirca prudenter olim Græcorum consuetudo muliebrem

sexum